

hominis erga cognatos suos, et misericordiae Domini erga omnes facturas suas.

13. QUI MISERICORDIAM HABET, DOCET ET ERUDIT, QUASI PASTOR, GREGEM SUUM. — « Qui, » scilicet non homo (ut vult Lyranus), sed Deus, misericordiam habet; et suos docet et instruit, sicut pastor suum gregem curat, instruit et pascit. Patet ex Græco, ex quo sic clare, sed suo more libere vertit Tigurina, misericordia hominis tendit in proximum ipsius; at misericordia Domini mortales omnes castigat, erudit, docet et reducit ut pastor gregem suum; Syrus, docet, erudit, instruit et convertit eas (facturas suas), sicut pastor bonus gregem suum. Hoc est quod exultans agnoscit sibi gratulatur David *Psal.* xxii, 1: « Dominus regit me (Hebr. pascit me; S. Hieronymus, Dominus pastor meus); et (ideirco) nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit. » Et *Psal.* lxxiii, 3: « Ut quid, Deus, repulisti in finem, iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ? » Et *Psal.* lxxix, 2: « Qui regis Israel, intende; qui deducis velut ovem Joseph. » Et *Psal.* xciv, 7: « Quia ipse est Dominus Deus noster, et nos populus pascuæ ejus, et oves manus ejus. » Et *Psal.* cxviii, 176: « Erravi sicut ovis quæ perit; quære servum tuum. »

Ubi nota: Cætera animalia, si a via aberrant, in eam redire possunt; at ovis ita simplex et stolidus est, ut, si semel aberrat, in viam non redeat, nisi in eam a pastore reducat, ut docet Aristoteles, lib. IX *Histor. anim.* cap. iii, et S. Basilii in cap. xiii *Isaiæ*; sic peccator, aberrans a lege Dei, in eam redire nequit, nisi a pastore Deo reducat per gratiam prævenientem et illuminantem, quæ ei viam ostendat et præmonstret. Quocirca Romæ in antiquissimis templorum imaginibus, Christus pingitur quasi pastor ovem perditam humero gestans, et ad gregem reducens. Idipsum in se agnoscens S. Augustinus, lib. X *Confess.* cap. xxvii, ingemiscens exclamat: « Sero te amavi, pulchritudo tam antiqua et tam nova, sero te amavi, etc. Vocasti, et clamasti, et rupisti surditatem meam; coruscasti, splendisti, et fugasti cæcitatem meam; flagrasti (alii legunt *fragrasti*), et duxi spiritum, et anhelo tibi. Gustavi, et esurio, et sitio. Tetigisti me, et exarsi in pacem tuam. »

14. MISERETUR EXCIPIENTIS DOCTRINAM (ita Romana et Græca; perperam ergo Complutenses legunt *miserator*, vel, ut alii, *miseretur excipiens doctrinam*; quod Lyranus exponit, q. d. Homo qui miseretur et docet, ut præcessit, miseretur in effectu; *excipiens doctrinam miserationis*, id est, confirmans doctrinam suam per exercitium operis; nam in moralibus magis movent facta quam verba); MISERATIONIS, ET QUI FESTINAT IN JUDICIIS EJUS, — q. d. Deus qui misericordiam habet, ut præcessit, miseretur ejus qui excipit doctrinam suam, « miserationis, » id est, e miseratione profectam; vel « miserationis, » id est, quæ de miseratione, ut scilicet proximorum misereamur,

præcepta sancit; nimirum ejus qui festinat ut ambulet in judiciis, id est, præceptis et mandatis, ejus. Hunc sensum clare indicant Græca, quæ ita Tigurina vertit, *disciplinam admittentium misereatur, itemque jura sua studiose consecrantium*; et Syrus, *beati qui annuntiant misericordiam ejus, et qui suscipiunt judicia ejus*. Hinc discet hoc dogma, ut ejicias in te misericordiam Dei, obedias legi et voluntati Dei, et a peccato convertere ad Deum, ac præsertim miserere proximorum; « nam beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur, » *Matth.* v. Hæc enim si non æqua et condigna, certe congrua est talionis divinæ lex. Unde misericordes in die judicii audient a Christo: « Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi; esurivi enim, et dedistis mihi manducare, » *Matth.* xxv, 34.

Nota: Tria doctrinam miserationis tripliciter exponi potest: primo, q. d. doctrinam ex misericordia Dei manantem; secundo, q. d. doctrinam de miserando aliis; tertio, q. d. doctrinam qua Deus docet se velle misereri impiorum, ut ad se convertantur. Erat Augustinus perversus, erat et Saulus, inquit Palacius; Deus sua miseratione erudit corda eorum doctrina conversionis, quæ est doctrina miserationis. Illi eam doctrinam exceperunt; ideo misertus est Dominus eorum, dans scilicet eis gratiam et postea felicitatem.

Nota secundo, quod festinat in judiciis ejus, quia Deus gratiam suam non effundit in torpidos et lentos, sed in alacres et festinos, qui scilicet fervent in studio virtutum et cursu ad perfectionem. Unde sponsa audit sponsum se invitantem: « Surge, propera, amica mea, » *Cant.* ii, 10. Festina igitur tuos defectus corrigere, festina te humiliare, et pati quælibet adversa, festina exercere opera charitatis; sic copiosam Dei gratiam elicias. « Deus enim præsentior est diligentibus, negligentibus abest, » ait S. Ambrosius, lib. IX in *Luc.* cap. x. Idem, lib. IV in cap. iv *Lucæ*, loquens de Naaman a lepra curato ab Eliseo: « Nemo, inquit, sanatus ostenditur, et maculosi morbo corporis absolutus, nisi qui religioso officio studuit sanitati. Non enim dormientibus divina beneficia, sed observantibus deferuntur. »

15. FILII, IN BONIS NON DES QUERELAM, ET IN OMNI DATO (hoc enim est Græcum *δὲσεται*, pro quo tamen Complutenses legunt *deiciet*, id est *inopia*, vel *precatione* et *postulatione*) NON DES TRISTITIAM VERBI MALI. — Apposite misericordiae Dei subjungit misericordiam hominum: Dei enim misericordiam imitari debet homo. Simul explicat hic doctrinam miserationis, de qua vers. præced., scilicet ut misereamur non tantum facto, sed et verbo. Jam primo, Syrus sic vertit, *huncque dat sensum, fili mi, eum qui benefacit proximo suo ne prohibeas, et eum qui dat, ne lædat oculus tuus*. Secundo, alii, q. d. Actionibus bonis, puta virtutum, nullam addas circumstantiam vitiosam: hæc enim vitiat totam actionem. Bonum enim est ex integra

causa, malum ex singulis defectibus, uti docet Philosophus. Tertio, et genuine, q. d. « In bonis, » id est, beneficiis præstandis non sis morosus, acerbus, onerosus, vitiosus, fraudulentus, aut talis ut jure quis de te queri, teque reprehendere possit. Præ querelam enim Græce est *μῆλον*, id est reprehensionem, vituperium, maculam: hanc enim significat Hebræum *כרם* *mum*; unde Græcum *μῆλον*, q. d. Ne des maculam in gloriam tuam, ne maculam injicias in eleemosynam tuam. « Et in omni dato (dono quod das) non des tristitiam verbi mali, » quo, scilicet, eum cui das, contristes; vel quia ostendis te invite et ægre dare, vel quia eum cui das taxas, improperas, conviciis et probris incessis, q. d. Eleemosynam da, et confer beneficium, non ex tristitia, sed ostendendo hilaritatem vultu et verbis benevolis: nam hilarem datorem diligit Deus, II *Corinth.* ix, 7. Unde ex Græco sic clare vertit Vatablus, *in rebus bonis, fili, ne adhibeas reprehensionem, nec ullo in dono verbi mali molestiam*; alii clarius, *fili, beneficiis ne addas reprehensionem, nec ulli dono molestiam verborum*. Hæc enim omnem beneficii gratiam tollit, inquit Jansenius: nam in beneficiis conferendis maxime spectatur animus benevolus, cujus index est sermo similis. Citat hunc locum Isidorus Pelusiota, lib. IV, *epist.* 118: « Ecce, inquit, sermo melior est dono; utraque autem sunt penes vitium qui pollet gratia. » Unde infert: « Non enim ab ipsa dationis magnitudine vel parvitate, sed ex animi proposito eleemosyna aestimatur; quandoquidem etiam sermo approbatione dignus censetur. » Sic et Salvianus, lib. I *Ad Eccles. Cathol.*: « Oblata, ait, non pretio, sed affectu placent; nec enim animus dantis datis, sed animo commendantur data; nec pecunia fidem insinuat, sed pecuniam fides. »

Præclare Seneca, lib. II *De Beneficiis*, cap. iii, cum docuisset beneficium dandum esse lubenter, cito, indubitanter, addit: « Itaque lætus facit (beneficius), et induit sibi animi sui vultum. Ingentia quorundam beneficia silentium, aut loquendi tarditas, imitata gravitatem et tristitiam, corrumpit, cum promitterent vultu negantium. Quanto melius adjicere bona verba rebus bonis, et prædicatione humana benigneque commendare quæ præstes? ut ille se castiget quod tardior in rogando fuit. Adjicias licet familiarem querelam: Irascor tibi, quod, cum aliquod desiderasses, non olim scire me voluisti, quod tam diligenter rogasti, quod quemquam adhibuisti. Ego vero gratulor tibi, quod experiri animum meum libuit; postea quidquid desiderabis, tuo jure exiges. Semel rusticitati tuæ ignoscitur. Sic efficies, ut animum tuum pluri aestimet quam illud quidquid est ad quod petendum venerat. Tunc est summa virtus tribuentis, tunc benignitas, ubi ille qui discessit, dicet tibi: Magnum hodie lucrum feci. Malo quod illum talem inveni, quam si multiplicatum hoc ad me alia via pervenisset.

Huic enim animo nunquam parem referam gratiam. »

Porro beneficentia exigit vultus animique hilaritatem verborumque benevolentiam, juxta illud: « Qui miseretur, in hilaritate, » *Rom.* xii, 8. Rationem a priori dat S. Thomas I II, *Quest.* xxxii, art. 2: « Benefacere alteri, inquit, est delectabile per comparationem ad triplex principium. Quorum unum est facultas benefaciendi, et secundum hoc benefacere alteri fit delectabile, in quantum per hoc fit homini quædam imaginatio, abundantis boni in seipso existentis, ex quo possit aliis communicare; et ideo homines delectantur in filiis et operibus propriis, sicut quibus communicant proprium bonum. Aliud principium est habitus inclinans, secundum quem benefacere fit alicui connaturale; unde liberales delectabiliter dant aliis. Tertium principium est motum, puta cum aliquis movetur ab aliquo quem diligit, ad benefaciendum alicui; omnia enim quæ facimus, vel patimur propter amicum, delectabilia sunt, quia amor præcipua causa delectationis est. »

16. NONNE ARDOREM REFRIGERABIT ROS? SIC ET VERBUM MELIUS QUAM DATUM. — Græca, *nonne ros astum sedat vel mitigat? sic et sermo potior est quam donum*. Comparat sermonem benevoluntati: sicut enim ros leniter stillans calorem hominum, animalium et frugum temperat, sed ita ut nullam molestiam, sed magnam suavitatem afferat: sic et sermo jucundus miseriam, quæ afflictum quasi æstus cruciat et urit, sua suaviloquentia refrigerat et recreat, ita ut nullam molestiam, sed magnam consolationem et lætitiā afferat. Ex adverso sermo asper est instar grandinis et procellæ, quæ etsi æstum refrigeret, tamen suo impetu homines et fruges percutit, percellit et sternit. « Verbum » ergo « bonum melius quam datum, » quia utilius et aptius ad tollendam miseriam et afflictionem inopis, quam ipsum donum. « Nam ingratum faciunt bonum donum verba injuriosa, » ait Rabanus.

Huic simile est, ut in eadem roris analogia persistam, quod tradit Plinius lib. IX, cap. xxxv, margaritas esse coagulum roris cælestis, ac proinde pro varietate cæli sereni vel turbidi candidas vel sordidas formari: « Has, inquit, ubi genitalis anni stimulerit hora, pandentes sese quadam oscitatione, impleri rosco conceptu tradunt, gravidas postea enti, partumque concharum esse margaritas pro qualitate roris accepti: si purus influxerit, candorem conspici; si vero turbidus, et fœtum sordescere, eundem pallere, celo minante conceptum, ex eo quippe constare, cœlique eis majorem societatem esse quam maris; inde nubilum trahi colorem, aut pro claritate matutina serenam. » Beneficia enim et gratiæ sunt quasi margaritæ, rore beneficentiæ concretæ, quibus si vultus et verborum hilaritas addatur, hilarescunt; sin vero amaritudo et acerbitas, sordescunt et mororem afferunt. Quocirca sapienter S. Augustinus in *Psal.* ciii, conc. 4: « Supplicem,

inquit, nullum spernas; et eum, cui dare non potes quod petierit, non spernas; si potes dare, da; si non potes, affabilem te præsta. Coronat in-
tus Deus voluntatem, tibi non invenit facultatem. Nemo dicat: Non habeo; charitas non de sacculo erogatur.»

Mystice, noster Jacobus Alvarez de Paz *De Ex-
term. mali*, lib. I, part. II, cap. VI: Datum, inquit, aliquid doni u cœlestis significat, aut aliquem actum virtutis, utputa abstinentiæ aut humilitatis, quo Dominus animam justî multiplicat, et verbum internum sermonem designat, quo anima suas infirmitates in cratione pandit, aut certe quem ipsa in recessibus cordis e cœlo demissum audit. Hoc verbum rori comparatur, quia, sicut ros æstivum calorem temperat, et corpora calore fatigata recreat: ita oratio, et mutua cum Domino collo-
cutio, omnem æstum carnis refrigerat. « Incum-
bamus gemitibus assiduis, inquit S. Cyprianus, lib. I, *epist.* 1, et deprecationibus crebris. Hæc sunt enim nobis arma cœlestia, quæ stare et per-
severare fortiter faciunt. Hæc sunt munimenta spiritalia, et tela divina quæ protegunt.»

17. NONNE ECCE VERBUM SUPER (id est, melius quam) DATUM BONUM? SED UTRAQUE CUM HOMINE JUSTIFICATO. — Græce *κατακριμένον*, id est gratioso, vel gratia pleno; gratia, inquam, apud Deum æque ac homines, ideoque *justificato*, quia gratia gratum faciens justificat, secumque adducit justificationem. Complutenses legunt *κατακριμένον*, id est *gratiosa*, quasi dicas: Utraque apud hominem gratiosa, utraque homini gratiam conciliant; Tigurina, *nonne ecce munere præstantior est oratio? cæterum in homine gratioso usus utriusque est*; alii, *nonne ecce sermo dono melior est? et ambo sunt apud hominem gratiosum*; Syrus, *est enim verbum bonum quod dono melius est, et utrumque super hominem fortunatum, q. d.* Experientia docet, et quisque in aliis idipsum videt, imo in seipso sentit, nimirum magis leniri mentis afflictionem ex verbo blando, quam ex dono: nam ingratum est donum quod datur verbis asperis; ex adverso verba blanda grata sunt, etiamsi desit donum. Verba ergo blanda condiunt donum, sicut mal omnem cibum condit et sapidum facit, adeo ut, si sal desit, cibus omnis licet optimus, sit inulsus et insipidus; et sicut saccharum, quod omnem rei amaritatem dulcorat.

Porro ne quis dives pauperi det solum bona verba, nec ejus inopiæ necessaria largiatur, dicatque illud: « Ite in pace, calefacimini et saturamini, » *Jacob.* 14; subdit Sapiens: « Et utraque cum homine justificato, » *q. d.* Gratiosus et justus utrumque præstabit, scilicet tam datum, quam verbum bonum: ita largiatur verbum bonum, ut non omittat datum. Hoc est quod ait S. Joannes *epist.* I, cap. III: « Filioli mei, non diligamus verbo nec lingua, sed opere et veritate. » Et S. Gregorius, XXI *Moral.* cap. XIV: « Dilectio nostra semper exhibenda est, et veneratione sermonis et ministerio

largitatis. » Et S. Chrysostomus, lib. III *De Sacerdotio*, ante finem: « Donum ipsum, inquit, donantis vultus gestusque conduplicat. » Idque probat ex hisce Siracidis verbis, quæ sic legit, *nonne res ardorem tollet? sic verbum melius quam datum. Ecce enim verbum supra dona ipsa est. Mens bonum; utrumque autem vir gratus præstat.* Idem in cap. XVIII *Genes.* homil. 41: « Idcirco, ait, et sapiens quidam dicebat: Melior sermo quam manus. Sæpe enim sermonis obsequium magis recreat accipientem, quam donum ipsum. Proinde scientes hæc, ne simus difficiles erga eos qui ad nos accedunt. Quod si poterimus eorum inopiam sublevare, hoc faciamus cum gaudio lætitiæque magna, non ut præbentes aliquid, sed ut ab eis accipientes. Quod si non possumus, ne simus asperi in eos, sed vel verbis eorum curam agamus, et in mansuetudine respondeamus eis. Quare enim dure compelles eum? Num cogit? num vim facit? orat, supplicat, obsecrat. Qui autem hæc facit, contumelia dignus non est. Quid dicit? orat et supplicat, innumera bona apprecatur, et hæc omnia facit pro uno obolo; et neque illum erogamus. Et quam assequemur veniam, quam habebimus defensionem? »

18. STULTUS AC RITER IMPROPERABIT, ET DATUS INDISCIPLINATI TABESCERE FACIT OCULOS. — Græca, *stultus odiose exprobrat, invidique donum tabefacit oculos*; Syrus, *stultus improperat antequam faciat gratiam, donum impii connivere facit oculos, q. d.* Vere insipiens est et stultus qui *χαριον*, id est gratiam, facit *ἀχαριστος*, ut habent Græca, id est ingratis, infacete et insipide, quia Charites deformat, Gratiæque adimit gratiam, qui, scilicet, cum quippiam donat pauperi vel afflicto, illi exprobrat inopiam, mendicitatem, inertiam, importunitatem, etc.; hic enim *datus*, id est donum, *indisciplinatus*, id est, hominis stulti aut rustici, Græce *βασίλειον*, id est, invidi (sic enim cap. XIV, vers. 6, avarum vocavit *invidum*, quia sibi et aliis usum opum invidet), tabescere facit oculos pauperis, dum eum contristat, affligit, pungit, cruciat suis improperiis, sua impudentia, duritie, asperitate. Nam, ut sapienter ait S. Gregorius, XXI *Moral.* cap. XIV, et ex eo Rabanus: « Sunt nonnulli, qui mox ut ab egenis fratribus fuerint necessaria postulati, post dona largiuntur in eos prius contumeliosa verba jaculantur; qui ut rebus ministerium pietatis perficiunt, verbis tamen gratiam humilitatis perdunt. Ita ut plerumque videatur, quod illatæ jam injuriæ satisfactionem solvunt, cum pest contumelias dona largiuntur. Nec magni est operis quod postulata tribuunt, quia ipso dationis suæ munere vix eundem excessum sermonis tegunt, quibus bene hoc loco dicitur: In omni dato non des tristitiam verbi mali. Et paulo post: Ecce verbum super datum bonum, et utraque cum homine justificato, videlicet, ut datum exhiberi debeat per pietatem, et bonum verbum tribui per humilitatem. »

Quare qui elemosynis suis miscent jurgia aut verba aspera, dant panem arena aut lapillis mistum, qui dentes lædit et palatum corrumpit. Aut potius una manu dant panem, altera alapam infligunt. Audi Senecam lib. II *De Beneficiis*, cap. VII: « Fabius Verrucosus beneficium ab homine duro aspere datum, panem lapidosum vocabat, quem esurienti accipere necessarium sit, esse acerbum. Tiberius Cæsar rogatus a nepote M. Allio prætorio, ut æri alieno ejus succurreret, edere illum sibi nomina creditorum jussit. Hoc non est donare, sed creditores convocare. Cum edita essent, scripsit, Nepoti jussisse se pecuniam solvi; adjecta contumeliosa admonitione, effecit, ut nec æs alienum haberet, nec beneficium. Liberavit illum a creditoribus, sibi non obligavit. » Idem lib. II, cap. XV: « Sæpe, inquit, nihil interest inter amicorum munera et hostium vota. » Quocirca Epaminondas sprevit munera Artaxerxis et Jasonis, Alcamenes Messeniorum, Phocion Mitili et Alexandri, ait Plutarchus in *Lacon.*; ac Socrates Alcibiadis, et Ephialtes amicorum, teste Æliano, lib. IX. Rursum Seneca, lib. II *De Beneficiis*, cap. IV: « At plerique, inquit, sunt qui beneficia asperitate verborum et supercilio in odium adducunt, et sermone usi, ea superbia, ut impetrasse penitent. » Et lib. I, cap. I, pleraque enumerat vitia, quæ nostra beneficia corrumpunt, atque inter

alia sic disserit: « Quis non, cum aliquid a se peti suspicatus est, frontem adduxit, vultum avertit, occupationes simulavit, longis sermonibus, et de industria non invenientibus exitum, occasionem petendi abstulit, et caris artibus properantes necessitates elusit. Augusto vero comprehensus, aut distulit, id est, timide negavit; aut promisit, sed difficulter, sed subductis supercilliis, sed malignis et vix exeuntibus verbis. Nemo autem libenter debet, quod non accepit, sed expressit. Gratus esse adversus eum quisquam potest, qui beneficium aut superbe injectit, aut iratus impegit, aut fatigatus, ut molestia careret, dedit? » Ac non longo verborum interstitio: « Utique non contumeliose; nam cum ita natura comparatum sit, ut altius injuriæ quam merita descendant, et illa cito defluant, has tenax memoria custodiat; quid exspectat qui offendit dum obligat? Satis adversus illum gratus est, si qui beneficio ejus ignoscit. » Lege S. Chrysostomum, homil. 11 in *Epist. ad Hebræos*, ubi multis suadet elemosynam ita pauperibus erogandam, ut omnis absit contumelia et injuria. Denique Cato in *Distichis* ita præcipit:

Gratior officiis quo sis, mage charior esto;
Ne nomen subeas, quod dicitur, officiperda.

SECUNDA PARS CAPITIS.

DE PRÆPARATIONE AD JUDICIUM.

19. ANTE JUDICIUM PARA JUSTITIAM TIBI, ET ANTEQUAM LOQUARIS, DISCE. — A misericordia descendit Sapiens ad prudentiam sive providentiam, datque præcepta de iis, quæ ante opus prudenter præmittenda sunt (unde posset hæc vocari lectio de Anterioribus), ut opus felicem sortiatur exitum, quæ omnia eo tendunt, ut deceat nos ante Dei judicium præmittere bona opera, ut illud felix faustumque experiamur. Unde sæpius ingeminat *ante judicium, q. d.* Hæc *προδικια*, hæc præjudicia anteeant judicium: hæc Antepredicamenta judicii sunt. Ad litteram verba hæc cum sint generalia, de quolibet judicio accipi possunt, *q. d.* Compariturus in tribunali hominum, sed maxime Dei, prius fac ut causa tua sit justa. Sic enim a justo iudice non metues condemnationem, sed securus faustam sententiam exspectabis. Similiter antequam alios doceas, prior ipse discere, neve loquaris quod nescis, quodque forte falsum est, unde juste ut tenerarius doctor vel assertor damneris: quanquam Græca hoc ad sequens referant, cum eoque continent, hoc modo: « Antequam loquaris discere, et ante languorem vel morbum sanare. » Porro Palacius sic explicat, *q. d.* Antequam loquaris, id est, respondeas Christo

examinanti te in die judicii, nunc discere bene faciendum, quod tunc cum lætitia respondeas. Omnia enim hæc spectant præparationem ad judicium. Verum aptius sic explices: Sicut locuturus prius dicit quid loquatur, sic tu locuturus et respondurus Christo iudici te examinanti, prius hic discere practice bene vivendo quod tunc respondeas.

Ita iudicii divini jugiter memor, ad illud assidue se comparabat S. Julianus Anachoreta, de quo ita scribit S. Ephrem, illi familiaris, in ejus Vita: « Et quemadmodum qui carcerali detinentur custodia, dum coram tribunali iudicii producendi sunt, præ timore et angore plorant: sic et beatus Julianus assidue tremendi tribunalis Christi recordabatur; quare et continenter flebat, iudicium futurum cogitans. Ubi autem compunctio et lacrymæ et humilitas, ibi nequaquam instabilitas et quæcumque res perversa ac improba regnat, sed optimus ordo viget, ac disciplina, et omnis res bona. Ubi vero ista non adsunt, multum a scopo, qui quæritur, aberratur. »

20. ANTE LANGUOREM ADHIBE MEDICINAM, ET ANTE JUDICIUM INTERROGA TEIPSUM, ET IN CONSPECTU DEI INVENIES PROPITIATIONEM. — *Primo, q. d.* Cum ex inappetentia, dolore, lassitudine aliisque indisposi-

tionibus quasi symptomatibus et signis presentis, vel sentis, initia morbi, illico occurre et remedium adhibe, quo morbum avertas. Remedium est triplex: *primum* est abstinentia, jejunium, diæta; *secundum*, exercitium corporis; *tertium*, pilulæ aliæque catapotia. Hæc enim tria humores superfluos et noxios, qui morbum causant, vel exhauriunt, vel consumunt; unde sunt multi qui semel vel bis quotannis, puta in vere et autumno, catapotis corpus purgantes, vivunt vitam sanam et longævam. Alii idem faciunt per abstinentiam et exercitium. Unde Joannes Salisberiensis, lib. VIII *De Nugis Curialium et vestigiis Philosophorum*, cap. vi: « Ferunt, ait, Galenum semper decimæ diei abstinentiam, læo efficacissimæ et saluberrimæ medicinalis curæ indixisse; nec facile posse, nisi corruptioris naturæ fuerit, morbis gravioribus subjacere, qui decima quaque die ab omni cibo abstinat, aut simplicissima diæta transigit vitam. » Et Cælius Rhodiginus, lib. XXX *Antiq. Lect.* cap. xii: « Memoræ, ait, proditum est, Galenum centum et quadraginta annos vixisse, tantaque in cibo et potu abstinentia usum, ut ad satietatem nunquam comederit aut biberit, nec erudum quidquam unquam gustarit: unde sit factum, ut odorificum semper anhelitum spiraret, et citra ullam omnino affectionem sola deficeret seconnectute; hinc etiam adagio exorto, ut Galeni valetudinem dicamus, pro ea quæ ultra humanum captum nimis sit prospera, nimisque inoffensa. » Suidas tamen Galeno tantum dat annos 70, alius 87; floruit sub Antonino Pio Imperatore. Sunt et hodie Religiosi, virique sapientes et pii, qui sextam cujuslibet hebdomadæ feriam in jejunio sine cibo transigant, vel eo utantur pareo et parvo, quod tam religioni (id enim faciunt in nonorem passionis Christi) quam incolumitati certissime servit, uti experimur quotidie. Porro tunc maxime jejunandum, cum corpus plethora, id est plenitudine, distenditur: nam hæc in paralytim et pessima morborum genera erumpit. Quocirca qui in conviviis bene pransi infartique sunt, si sanitati consultum velint, a cæna absineant, vel modicum quid cœnent.

Certe novi permultos, qui omnes morbos curant et prævertunt jejunio, eoque sanitatem et vires licet modicas et debiles tuentur. Quin et Aristoteles, lib. V *Ethic.*: « Abstinentia cibi, inquit, confert febricitanti sanitatem. » Tritum est illud Scholæ Salernitanæ:

Cum tibi defuerint medici, medici tibi fiant
Hæc tria: mens hilaris, requies facilis, moderata diæta.

Vide dicta *Daniel.* 1, vers. 8 et 15.

Simili modo ante judicium interroga teipsum, *q. d.* Antequam iudices alios, judica teipsum, ut illis compati discas, utque prius in te damnes at corrigas, quod damnare et corrigere vis in aliis.

Porro apposite hoc subnectit *ante languorem*

adhibe medicinam, quia correctio proprii languoris et vitii est optima dispositio et medicina ad curandum languorem et vitia aliorum. Unde SS. Anachoretæ in *Vitis Patrum* docent dicuntque: Qui plene vicit suam gulam, iram, superbiam, etc., potest dæmonem gulæ, iræ, superbiam ex aliis depellere. Rursum Palacius ea sic connectit, *q. d.* Sicut ante languorem, quem crebris instare, adhibes medicinam: sic ante judicium teipsum examina, circumspecte, interroga, ut in conspectu iudicis invenias propitiationem.

Secundo, sublimius sub languore corporali accipe spiritalem, puta passiones, concupiscentias et vitia, *q. d.* Cum presentis, vel sentis, initia aliquis tentationis, passionis et vitii ebullientis, illico illa amove et reseca: nam si ea crescere sinas, difficile superabis, juxta illud:

Principiis obsta: sero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.

Huic sensui magis cohæret id quod sequitur: « Et ante judicium interroga teipsum, » *q. d.* Antequam voceris ad Dei tribunal ut iudiceris, explora et examina tuam conscientiam; ac si quid ibi vitii deprehenderis, expurga per pœnitentiam, perque serium propositum et studium melioris vite, et honorum operum. Hæc enim est medicina efficax, ut in iudicio languorem et mortem æternam evadas. De iudicio enim Dei hic agi, patet ex eo quod sequitur: « Et in conspectu Dei, » Græce, *in die visitationis*, vel inquisitionis, id est iudicii, « invenies propitiationem. » Ita Rabanus et Palacius. Hinc Complutenses sic legunt, *ante languorem θεραπεύου*, id est *curare*, fac ut cureris et saneris; *judicium para te καλλεργεῖν*, id est *ad bene faciendum* (aliqui legunt *καλλερεῖν*, id est *ad litandum*, ad sacra faciendum, ad numen victimis propitiandum); *et in hora visitationis invenies propitiationem.*

Ubi nota Complutenses legere *ἐτοιμασε*, id est *para*, pro quo Noster et alii legunt *ἐξέτασε*, id est *explora, interroga*; Tigurina, *ante ægritudinem admittit curationem, ante judicium explora teipsum, ut tempore inquisitionis consequaris veniam*; Syrus alio abit: sic enim vertit, *antequam pugnes, quære tibi adiutorem; et antequam infirmeris, quære tibi medicinam.*

Notanda est aurea gnomæ S. Dorothei *Doctrina* 3, in fine: « Admonere, inquit, crebro majores nostri, non debere pati monachum remorderi se aliquando a conscientia sua, ne una quidem re minima. » Et S. Chrysostomus, homil. 43 *in Matth.*: « Sedeat, inquit, mens atque cogitatio tua iudex in animam atque conscientiam tuam; adducas omnia delicta tua in medium, scrutare quæ animo commisisti, et pone dignas singulorum pœnas; dicas tecum assidue: Quare hoc aut illud ausus es? quare illud et illud perpetrasti? Quod si ab illis quidem tua conscientia refugit, aliena vero curiose rimatur, dic ad ipsam: Non ego iudex in aëros, nec tu alios defensora judi-

um subiisti. Sic assidue ipsam ad hanc scrutationem revoca; deinde si causam dicere non possit, sed balbutiat atque stupescat, quasi superbam ancillam, et fornicatione corruptam cæde verberibus, ac flagellis dilania. » Et paulo post: « Non enim morietur percussa, sed mortem effugiet. » Plura de hoc conscientie sueque scrutatio vespertino et matutino, dixi *Deuter.* vi, 8; *Thren.* iii, 40, ad illud: « Scrutemur vias nostras; » *Roman.* ii, 15 et alibi.

21. ANTE LANGUOREM HUMILIA TE, ET IN TEMPORE INFIRMITATIS OSTENDE CONVERSATIONEM TUAM. — *Primo*, *q. d.* Dum sanus es, dum vales et viges, noli superbire tua sanitate, rohere et viribus, ne Deus superbiam tuam puniat, tibi que auferat sanitatem et vires, in quibus superbis, ut humiliare te discas. Sponte ergo dum sanus es, te humilia, humiliterque Deo sanitatem acceptam feras, non tibi, vel tuæ ætati et industriæ, eumque precare ut eam tibi conservet. Unde Syrus vertit, *antequam apprehendat te angustia, ora, et in tempore angustie invenies eam, et respondebit tibi.*

Secundo, Palacius explicat, *q. d.* Si vis tempore infirmitatis leniter et humiliter ferre languorem, ante eum lenis esto et humilis: nam qualem te exhibueris sanus, invenies infirmus. Igitur ante tempus iudicii, in quo omnia trement, humilia te, præpara te: quiete et mansuete iudicem expectabis, si quiete et mansuete vixeris. Rursum humilia te, scilicet *ἐγκρατεῖα*, id est, per continentiam et abstinentiam, ut addunt Complut., hoc est, jejuna, *q. d.* Antequam ægrotas, jejuna, jejunio digere et consume humores superfluos, qui tibi febres aliosque morbos creabunt: mater ergo sanitatis, æque ac sanctitatis, est sobrietas. Nota: Hebræum *עני* *ana* significat affligere et humiliare: afflictio autem Judæis præcepta et ordinaria erat jejunium. Itaque *humiliare se* idem est quod jejunare, præsertim quia humiliata, id est, afflictia carne per jejunium, humiliatur et spiritus. Hinc illud frequens in Scriptura: « Humiliate in jejunio animas vestras. » Quocirca Tigurina vertit, *ante infirmitatem temperantia teipsum macera.*

ET IN TEMPORE INFIRMITATIS OSTENDE CONVERSATIONEM TUAM. — Præscripsit quid ante infirmitatem sit faciendum, nunc præscribit quid in ipsa sit agendum, dicendo: « Ostende conversationem, » id est, patientiam, humilitatem, resignationem, pœnitentiam. Alii explicant, *q. d.* Ostende conversationem tuam præteritam Deo, et sacerdoti in lege nova per sinceram peccatorum confessionem.

Secundo et potius, « ostende conversationem, » id est conversionem (et forte ita vertit Noster) « tuam. » Sic Seneca *ant. epist.* 75: « Sciatque illa ipsa, quibus lædi videtur, ad conversationem (id est conversionem) universi perfinere, et ex iis quæ cursum mundi consummant. » Græce enim est *ἐπιστροφή*, id est *conversionem, regressionem; item*

considerationem, curam, animadversionem, castigationem. Sensus ergo est, *q. d.* Dum ægrotas, convertere per orationem et pœnitentiam ad Deum, tum ut ipse tibi sanitatem restituat, tum ut animæ tuæ consulat, teque præpares ad instantem mortem Deique iudicium. Convertere, inquam, regrediendo per neglectam prius viam, ideoque priorem tuam vitam recognosce, introspecte, animadverte, castiga, cura que summopere, ut animæ tuæ ituræ ad mortem et ad tribunal Dei plene consulat, ut æternitati beatæ, non miseræ, adjudicetur. In iudicio enim de alterutra te fere tur sententia Dei. Ita Ezechias morbo afflictus conversus ad Deum, oransque cum lacrymis veniam et vitam impetravit, *Isaiæ* xxxviii. Ita S. Theresia confessa est ægritudines sibi fuisse initium sanctitatis et salutis. Idem omni sæculo factum legimus, et etiamnum fieri videmus.

Rursum hic versus æque ac præcedens, de morbo non tantum corporali, sed et spiritali accipi potest, *q. d.* Antequam in aliquem animæ languorem, id est vitium et peccatum, incidas, jejuna, carnem afflige, ac humilia te, ut humilitate, jejunio, humilique oratione et invocatione opis divinæ languorem et lapsum evadas; si vero jam in eum es prolapsus, illico per conversionem et pœnitentiam exsurge. Unde pro *infirmitatis*, Noster Græce legit *ἀρρώστιας*, id est *infirmitatum*; jam legunt *ἀμαρτημάτων*, id est *peccatorum*. Sic enim legunt, *in tempore peccatorum ostende conversionem*; Tigurina, *tempore peccatorum ostende emendationem*; Syrus, *antequam impingas, ora et precare: antequam pecces, da eleemosynam*. Ita Rabanus, hæc omnia referens ad pœnitentiam, qua quis se præparet ad diem iudicii, ideoque omni nisu in servitio Dei usque ad finem vitæ laborare contendat. « Ille discit, ait, atque justitiam sibi præparat, qui quotidie rimatur quid de conversatione sua et actibus Deo placeat, quidve displiceat; et ita se per compunctionis lacrymas et castigationem corporis studet a delictis mundare, ut non necesse sit pro pollutione peccatorum æternis cruciatibus in die vindictæ denuo illum subire. Illam enim horam languorem appellat, et tempus infirmitatis, quando justa retributio unicuique pro actibus propriis rependitur; nec jam licet cuiquam operari, sed fas est operum suorum mercedem unumquemque recipere. » Hic enim dies qualis sit, Sophonias propheta cap. i ostendit, dicens: « Juxta est dies Domini magnus, juxta est et velle nimis: vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies iræ dies illa, dies tribulationis et angustie, dies calamitatis et miserie, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulae et turbinis, dies tubæ et clangoris super civitates munitas, et super angulos excelsos. Et tribulabo homines, et ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt; et effundetur sanguis eorum sicut humus, et corpora eorum sicut stercorea. Sed et argentum eorum, et aurum eorum non poterit liberare eos

in die iræ Domini : in igne zeli ejus devorabitur omnis terra, quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram. » Et S. Cyprianus, tract. *De Passione* : « Veniet, inquit, anima tua in manus judicis quem condemnas, fractisque tribunibus tuis judicaberis, et demergeris in profundum inferni, eruntque tibi et Judæ scelerato, in tenebris et gehennalibus flammis, pœnæ irremediabiles, inconsumptibiles ignes, dolores perpetui, et tormenta æterna. Et quidem Filius hominis, sicut scriptum est de illo, vadit : qui damnatus est, ut liberaret damnatos; doluit, ut sanaret infirmos; timuit, ut faceret securos; opprobria pertulit, ut impropria detraherentium non moverent electos; deputatus inter impios, quorum alter assumptus, alter reprobatu est, ut daretur exemplum et forma indissolubilis, manans in posteros, quia nec in ultimis Dei clementia pœnitentes excludit; nec ulla hora sera est, cui compunctio districta occurrit; nec eos qui vitæ suæ quocumque articulo temporis veri sunt judices, iterum judicari. Quia, cum judicis et tortoris vices non parcens peccator assumit, semetipsum persequens, dum confessionem confusione honorat, holocausti hujus incensio in conspectu Dei veniam impetrat. Neque enim bis in idipsum judicat Deus; sed impœnitentes ipse judicat et damnat; pœnitentes vero, quia a seipsis suscipit judicatos, absolvit; neque judicio, quod pœnitentiæ humanæ severitas protulit, aliquid justitiæ cœlestis apponit. »

22. NON IMPEDIARIS ORARE SEMPER, ET NE VEREARIS USQUE AD MORTEM JUSTIFICARI : QUONIAM MERCES DEI MANET IN ÆTERNUM, — *q. d.* Multa solent orationis impedimenta occurrere; hæc omnia remove quoad potes, ut vaces crebro et assidue orationi, nimirum occupationes ad te non pertinentes, vel minus utiles, visitationes amicorum, convivia, ludos, studia nimia vel inutilia, somnum, otium, lites forenses, negotia sæcularia, etc. Hæc enim omnia quasi minus utilia postponenda sunt orationi, utpote rei divinæ et utilissimæ, per quam Dei gratiam omniaque bona a Deo impetramus. Quocirca Christus : « Oportet, inquit, semper orare, et non deficere, » *Luce XVIII, 1*; et S. Paulus : « Sine intermissione orate, » *I Thessal. V, 17*. Vide ibi dicta. Tota ergo Sanctorum vita est quasi jugis oratio, ut fuit vita S. Antonii, Simeonis Stylitæ, S. Mariæ Magdalenæ et Davidis dicentis : « Septies in die laudem dixi tibi, » *Psal. CXVIII, 164*. Unde S. Gregorius in *Psal. VI* pœnit. « De profundis, inquit, clamavi ad te : non ait : Clamo, sed clamavi : habes in hoc perseverantiæ documentum, etc. Esto ergo sedulus in oratione, esto precibus importunus, cave ne ab oratione deficias. »

Pro non verearis, aliqui cum Pagnino legunt, *ne veteris, q. d.* Nil vetet, nil impediatur, ut assidue orare, ita et assidue facere opera justitiæ. Verum Romana et Concilium Tridentinum, se-

sione VI, cap. x, quin et S. Augustinus in *Speculo* legunt *ne verearis, q. d.* Nullus hominum pudor, nullus timor te remoretur a profectu justitiæ, quominus assidue satagas per opera justa et sancta crescere in justitia, gratia et sanctitate. Causam subdit : Quia per hæc augebis mercedem et coronam tuam æternam. Si enim mercator oblata occasione lucrandi centum pro uno, avidè illam arripit; utique et nos avidissime arripere oportet occasionem augendi merita et coronas nostras, quæ in hac vita singulis momentis nobis offertur, ut quolibet instanti possimus lucrari mille, imo miliones pro uno. « Non enim sunt condignæ passionibus (actionibus et laboribus) hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis, » ut ait B. Paulus. Nota *quoniam merces Dei manet in æternum, q. d.* Ne verearis quotidie studere justitiæ, et nova merita accumulare, quia præmia Dei bene agentibus destinata exhaurire valeas; « merces » enim ejus « in æternum manet, » quia quantumvis pro Deo laboremus, et ei serviamus, semper supersunt manentque ei præmia ingentia, quæ magis laborantibus dare possit.

Græca paulo aliter et brevius habent : « Noli impedire quominus reddas votum tempestive : et ne exspectes vel differas usque ad mortem justus fieri. » Ubi nota : Pro *votum* Græce est *εὐχὴ*, quæ vox, ait S. Hieronymus *ad Suniam*, nunc orationem, nunc votum significat; sed hic votum significare liquet ex verbo *ἀποδοῦναι*, id est *reddere*. Verum Noster aliud verbum videtur legisse. Rursum *ne exspectes* vel differas usque ad mortem justificari, sive *justus fieri*, dupliciter accipi potest : primo, de prima justificatione qua impius fit justus, *q. d.* Ne differas conversionem, ut peccatis inhærere velis usque ad mortem, et tunc agere de iis pœnitentiam, ut justitiam et gratiam Dei consequaris; secundo, de secunda justificatione qua quis ex justo fit justior et sanctior, *q. d.* Ne exspectes vel ad unum diem, quin quotidie usque ad mortem justificeris, id est crescas in justitia, ejus opera assidue exercendo. Et sic accipit Vulgatus Interpres Latinus, S. Augustinus et alii. Contra hanc sententiam peccant, qui vota Deo nuncupata persolvere tardant, differuntque de die in diem, imo de anno in annum; et illi qui in juventute indulgent suis concupiscentiis, tempus pœnitentiæ et sanctitatis rejicientes in tempus senectutis et mortis, quando sæpe vel non possunt, vel nolunt converti, quia difficile est tanto tempore in solitas consuetudines et concupiscentias deponere; iis enim velut funibus colligati tenentur, imo seipsos colligarunt. Tigurina vertit, *ne dubites votum reddere in tempore, nec justum probare te usque ad mortem differas*, quæ versio suspecta est; nam *δικαιωθῆναι* significat *justificari*, non justum probari. Vere enim per opera bona justificamur, non autem justus probamur et ostendimur duntaxat, uti volunt Calvinus et Lutherus. Syrus, *ne verearis ad transire faciendum delicta*

tua, et ne negligas quondamque angustia te apprehendant. Ne differas pœnitere a peccatis tuis, recordare quod mors non cunctatur.

Stimulus ad profectum virtutis.

Moraliter, docet hic Sapiens, nos assidue studere debere tum orationi, tum profectui in justitia et sanctitate. Ad quam acres ex hoc loco stimulos adhibet Faustus Rhegiensis Episcopus *Instruct. ad monachos*, quæ habetur in Appendice *Biblioth. SS. Patrum*, pag. 1569 : « Nullum sibi finem proficiendi, inquit, faciat, nullum terminum constituat acquirendi, cum sibi dici audiat : Para in exitu opera tua. Et iterum : Non verearis usque ad mortem justificari. Et iterum : Sipientia in exitu canitur. Quanto ergo plus proficimus, tanto plus humiliemur, quia quanto plus humiliati fuerimus, tanto amplius proficimus. Nullus illic senior tam indoctus appareat, ut putet quod eum non deceat obedientia, quæ Deum decuit. Humilitas enim atque obedientia in junioribus adhuc necessitas, in senioribus jam dignitas est. Ille bene proficit, ille bene consummat, qui quotidie sic agit quasi semper incipiat. Quamobrem augmenta meritorum incitamenta esse perfectorum, Scriptura pronuntiat. » Quocirca S. Gregorius explicans illud *Job. xxxi, vers. 18* : *De utero matris meæ egressa est mecum miseratio* : « Electis, inquit, cum foris ætas corporis, intus, si dici licet, crescit ætas virtutis. »

Vers. 23. Præparatio ad orationem quæ drapelex prima.

23. ANTE ORATIONEM PRÆPARA ANIMAM TUAM : ET NOLIESSE QUASI HOMO QUITENTAT DEUM. — « Præpara, » primo, per animi avocationem ab omnibus curis et negotiis terrenis, ut eum totum ad orationem et Deum transferas. Ita S. Chrysostomus, homilia 9 *De Diversis in Matthæum locis* : « Quid est, ait, ante orationem præpara teipsum, nisi exspoliatus cogitatione prava, sic accedas ad Dominicam orationem? » Quocirca hæc præparatio maxime requirit lectionem spiritualem, qua animus ad Deum erigatur, ac imbuatur cogitatione rerum divinarum, ait noster Suarez, lib. II *De Oratione mentali*, cap. II, juxta illud S. Basilii dogma : « Lectioni succedat oratio, orationi lectio; » secundo, per contritionem de offensionis in Deum admissis suppliciter veniam postulando, ac proponendo seriam emendationem; tertio, per considerationem divinæ majestatis et tuæ vilitatis, dicendo cum S. Francisco : « Quis ego, Domine? quis tu? Tu abyssus essentiæ, sapientiæ, bonitatis : ego abyssus nihili, ignorantia, malitiæ. » Et cum Abrahamo : « Loquar ad Dominum, cum sim pulvis et cinis, » *Genes. XVIII, 27*; quarto, per præmeditationem eorum quæ quis petiturus est, ne petat injusta, iniqua, inutilia, vana, noxia; sed æqua, sancta, Deo digna et grata.

Vere S. Bernardus, serm. 76 *in Cantica* : « Qualem te, inquit, paraveris Deo, talis tibi apparebit Deus. Cum sancto enim sanctus erit, et cum innocente innocens erit, » *Psal. XVII, 26*, et cum sollicito sollicitus, cum recollecto recollectus, cum diligenti et liberali diligens et liberalis. « Et

quantum apposuerimus ad diligentiam (ait Eusebius Emissenus, vel potius Eucherius Lugdunensis, homilia 3 *ad Religiosos*), tantum ille addet ad gratiam. » Propterea enim David dixit, *Psal. LXXXVIII, 20* : « Posui adjutorium in potente, » *q. d.* Adjuvat Deus adjuvantem se, recentesque vires ad facultatem addit bene utenti ea quam prius habebat. « O anima (ait S. Augustinus in *Manuali*, cap. xxiv), esto sollicita cum sollicito, cum mundo munda, cum sancto sancta, cum vacante vacans; qualis apparueris Deo, talis oportet ut appareat tibi Deus. » Et si valde fueris diligens, te præparando, antequam ad ejus conspectum ingrediaris, admittet libenter te, et præmio afficiet tuam preparationem, explendo tua desideria. Quo similior fueris Deo, eo libentius te audiet, tibi que respondebit Deus; amicus enim cum amico sibi simili libenter conversatur, et suaviter colloquitur.

Quare, si orans imparatus accedat ad Deum per orationem, non placat, sed tentat, id est irritat, et ad iram provocat Deum sua temeritate, audacia, irreverentia, impudentia, præsertim si in peccato et ira Dei, ejusque inimicus existens, eum quasi amicum sine contritione audeat interpellare. « Ille enim, ait Rabanus, Deum tentat, qui ita orat ut ipse doceat, et tamen non hoc agit quod jussit. Cujus infructuosa est oratio, quia solummodo illi ab eo audiuntur, qui recta fide et bonis operibus levant orationes suas ad Deum. » Ante orationem ergo cogita quis sis, quia homo vilissimus, quia peccator ingrattissimus, quia revera pulvis et cinis, stercus et fœtor; et hac cogitatione teipsum humilia. Cogita deinde quem sis oraturus, quia Deum sapientissimum, optimum, potentissimum, angelicæ naturæ amatorem, humanæ reparatorem, omnium conditorem. Admirare divinam majestatem intime præsentem, quæ te ante se sustinet; dilige immensam bonitatem, quæ prona est te exaudire et benigne tibi favere; in spem erigere quod e conspectu tanti regis nec vacuus, nec desolatus exibis. Cogita tandem quem boni affectum sis ex meditatione eliciturus, ut ad eum tuas considerationes dirigas, et quid sis petiturus, ut ita custodias illud Salomonis : « Ne temere quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo. Deus enim in cœlo, et tu super terram; idcirco sint pauci sermones tui, » *Eccle. cap. V, vers. 1*. Si ille tanto intervallo cunctos homines superat, æquum est ut magno cum tremore illum alloquaris, et quid tibi dicendum sit perspectum habeas.

Denique præparatio insignis ad orationem est, si ante eam animo concipias Deoque offeras multas magnasque piæ mentis intentiones, quæ ut eam aggredieris, te pellexerunt. Sic oratio fluet ex motivis variarum virtutum, ab eisque evagabitur. Sic pariter quis minore cum mentis evagatione cordisque ariditate, majori vero cum atten-

Optima præparatio, est multiplex et orationis intentio.